

Pestifera arma iacit, camposque et celsa Ciclopum
Tecta superiecto nebularum incendit amictu (1).

et que succedunt.

Ovidio. Quid Ovidius? idem per omnia. ait enim:

Dira lues ira populis Iunonis inique
Incidit (2).

5

et post aliqua:

Principio celum spissa caligine terras
Pressit et ignavos inclusit nubibus estus (3).

Taceo reliqua que complura submittit. taceo et reliquos poetas, 10
quos idem sentire licet opinari ex his tibi, et tibi clarissimis. nisi
huc velis adicere spatiosam illam epidimie notationem Senece in
Edipo (4). fere tamen per omnia tribus his assentitur. hi autem
tres non diligentius, apertius aut uberius potuissent quod volumus
expressisse. quid enim aliud « celi tractus » quam aer quem attra- 15
himus et ita vivimus? quid « Syrius » nisi sideris illius influxus?
est enim stella in ore canis seu canicule, et inde dies canicularis.
per « Delion » autem Apollo signatur; quo offenso, poete dicunt
e vestigio consequi pestilentiam. eam ob rem ab Homero fingitur
sagittis armatus (5). mitis autem perhibetur cum tela posuit, sine 20
quibus ut adsit, ita Flaccus exorat:

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo (6).

Sed nunc; quod attinet; quid est Apollinem immittere tela pe-
stifera nisi influxu planetarum aut aliorum syderum, cooperante 25
Apolline, qui sol est et illorum pater dicitur, pestem ingenerari?
ac per Iunonem aerem significari constat, cuius corruptio, ut nunc
diximus, lues est. hac ex causa « nebularum amictu tecta incendi »
dixit Statius, et Ovidius ait « celum spissa caligine terras pres-
« sisse ». presserat autem, ut est apud eundem Ovidium, terras 30
non omnes sed Mirmidonum. sic et apud Statium lues imminebat
populis non omnibus sed Inachiis. et apud Virgilium tantum Cre-

(1) STAT. *Theb.* I, 628-31.

(2) OVID. *Metam.* VII, 523-4.

(3) Ivi, 528-9.

(4) SEN. *Oed.* 1-112.

(5) Cf. HOM. (latinus), *Il.* I, 40.

(6) HOR. *Carm. Saecul.* 33-4.

Ai quali si può
aggiungere
Seneca.

Spiega il signi-
ficato de' termini
adoperati dai poeti
predetti,

significato confer-
mato altresì da
Omero

e da Orazio.

Causa pertanto
della peste, secon-
do i poeti, è l'in-
flusso de' corpi ce-
lesti;

influsso che colpi-
sce certi luoghi, ma
non tutti.